

Cap. XI. Rubrica de testibus et probationibus
testium. //

196 A

L iceat unicuique parti a parte adversa, ipsis litigantibus in
iudicio, in primo dato termino ad probandum, petere et
5 requirere nominari testes in scriptis per quos probare voluerit,
et ipsa ¹⁾ pars sic requisita nominare debeat suos testes in
scriptis antequam recedat de palacio comunis, et testes quos
nominaverit antequam recederet de palacio comunis cancel-
larius comunis scribere debeat in sua vacheta et singulariter
10 nomina dictorum testium, et ipsis sic notatis vicedomino co-
munis dare debeant cedulam per partem datam cum dictis
testibus, antequam cancellarii recedant de palacio comunis.
¶ Qui testes sic nominati examinari debeant tantum et ad-
mitti in dicta questione, et alii testes qui non essent nominati
15 in tali termino, facta requisitione ut dictum est, examinari
nec recipi debeant; et si fuerint examinati vel recepti, sint
nullius valoris et eorum testificatio non relevet producentem;
et si in primo termino talis requisitio facta non fuerit, in
aliis terminis sequentibus non liceat facere, et tunc talis pars
20 non requisita nominare testes possit producere testes quos vo-
luerit in questione predicta. ¶ Insuper nolumus quod aliqua
testificatio facta per aliquam mulierem in civili contra ali-
quam personam, si questio erit de viro ad virum vel de viro
ad mulierem, sive de muliere ad virum, valeat, imo sit cassa et
25 nullius valoris; sed in qualibet // questione de muliere ad mu- 196 B
lierem admittatur ²⁾ mulier et admitti debeat ad testificandum.
¶ Item quod nulla testificatio facta per aliquos testes, per
quos debitor probare vellet solutionem esse factam de aliquo
debito contento in aliquo publico instrumento, valeat vel te-
30 neat, nisi apareret per publicum instrumentum de solutione
predicti. ¶ Et nulla testificatio testium facta contra personam
mortuam de aliquo mutuo sive debito denarii depositi vel
salvamenti quocunque modo valeat vel teneat. ¶ Et quando-
cunque aliquis testis examinari debet, iurare debeat ad pre-

¹⁾ ipsi. ²⁾ admittitur.